



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus


Coloniae Agripp., 1623

Medit. 21. De villico iniquitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

ac fructus coelestes producere, quia gratiæ aqua ex Sacramentis tanquam fontibus hausta irrigantur: hoc si non agit, excidetur à gratia & à familiaritate Christi exclusus mitteretur in ignem vel prauorum desideriorum (in hac vita) vel gehennæ, in futura.

6. Deus vitam aternam tanquam mercedem dat operantibus qui vocati satisfaciunt, & Deum non tam voce, quam vitæ probitate inuocant ac laudant.



MEDITATIO XXI.

DE VILICO IN-

QUITATIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- Luc. 16. I. Villicus diuitis, infamatus apud Dominum, quod bona dissipasset, vocatur vt reddat rationem villicationis suæ.*
- II. At ille territus, cogitat intra se modū euadendi, scilicet, singulis debitoribus Domini sui aliquid remittendo.*
- III. Laudat Dominus eum, quod consiliū sibi vtile inuenerit, monens nos, vt faciamus nobis amicos qui in aeterna tabernacula nos suscipiant.*

PROPHETIA.

Baruch. 3. 25. O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? magnus est, & non habet finem.

D. C. CV.

DOCUMENTA.

1. **D**IVES ille, Deus est, cuius nos villici sumus, nihil habentes nisi purū NIHIL; & illud triplex. 1. *in esse natura*, quia ex nihilo nos fecit, & nisi nos assidue cōservaret, statim in nihilū recideremus. 2. *in actionib⁹*, quia sine Deo tanquā causa priuā, nihil penit⁹ (nec paruū nec magnū) agere possum⁹. 3. *in esse GRATIÆ ac MERITI*: quia omnē gratiam, ac dona supernaturalia gratis & sine vllō nostro merito habemus, & ex hac gratia tanquā principio vitæ supernaturalis actiones nostræ merentur etiam apud Deum.
2. Ab hoc Domino habemus villam, id est, donā multiplicia, corpus, animam, ingenium, doctrinam, opes, dona, tum naturalia, tum supernaturalia, quæ debemus colere ad voluntatem & vsum Domini; agendo scilicet, vt omnia ad maiorem eius gloriam cedant.
3. Magna infamia est *diffamari* apud Dominū talē, & Angelos, quasi *dissipes*, id est, inutiliter consumas bona eius, rebus vanis, aut etiam peccatis, te, tuæque addicere.
4. *Vocat* autem Deus, internis inspirationibus, morbis, concionibus, bonis aliorum exemplis, vt cogites strictissimam aliquando tibi de omnibus bene agendi, occasionibus ac donis reddendam esse rationem.
5. *Ait intra se*: Hæc nobis post examen exquisitū consciētiae aut post cōfessionē & penitentia præstāda sunt, vt cogitemus de modis, quibus peccata hæctenus cōmissa diluamus, elemosynis scilicet ac varijs operibus, in Dei & Sanctorū laudē ac honorē factis. Nā circa mortem, quando ad rationē reddendā vocabimur,

tali deliberationi locus nō erit nec quicquam
amplius tunc licebit promereri. Curandum
itaq; vt antequam hinc amouearis, facias tibi
amicos, pauperes vel eos omnes, quibus pro
talento & facultate tibi concessa prodesse po-
tes, liberaliter impertiēdo opes vel auxilium,

Hebr. 13. (quo egent quia *talibus hostijs*) *promeretur,*
16 *Deus & talis, in Deum aut proximum, Ca-*
1. Pet. 4. *ritas operit multitudinem peccatorum.*

6. Diuitiæ dicuntur *Māmona iniquitatis,*
non quod per se malæ sint, quia (vt in Genes.
sæpius dicitur) *omnia qua fecit Deus, erant*
valde bona, sed quia vel in ijs. acquirendis,
sæpe iniquitas cōmittitur (vt ait Apost. 1. Tim.
6.) vel quia ex earum vsu vel potius abusu,
peccata plurima nascuntur.

7. *Recipiant vos,* &c. mirabilis est elee-
mosynæ aliorumq; misericordiæ operum vis,
ac priuilegium, vt Deus tanquam sibi erogata
acceptet ac potestatem tribuat, vt quis per ea,
regnum cœlorum promereatur.



MEDITATIO XXII. DE PHARISÆO ET PVELICANO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

Luc. 18. I. *Dicit confidentibus de seipsis parabo-*
lam, de duobus ad orationem ascen-
dentibus, quorum prior stans se lauda-
bat de ieiunio, decimis.

II. Alter